

ia h[ic] lucubratione, et unde pariter Eusebius ac S. Hieronymus mensuras ferè omnium meridionalium urbium Iudeæ deduxerunt, sita erat ad meridiem Misphe, ad occidentem Morasthi et Odollam, ad septentrionem Cœla atque Hebron. In Itinerario Antonini est 20 millibus passuum à Jerusalem, et 24 ab Ascalone (vide Cellar. 1. 3, cap. 15, pag. 555, 554). Quantum ab Eleutheropoli distet Hebron, nihil expressè Eusebius; sed ego 10 millia passuum circiter constituerim; posuit ille Celam 8 milliar. ab Eleutheropoli Hebron versus, Itinerarium Burdigalense spatium constituit 50 milliar. inter Jerusalem et Hebron; sicut et 9 milliar. inter Betser urbem Eleutheropoli proximam, et Hebron. Non longè aberat am-

nissimus ager Sephar, secundum viam è Gaza Jerusalem, et viciniam. Per hanc vallem iter dirigere Jerosolymam constituerat Holophernes; per hanc rex Antiochus Eupator exercitum suum in eam urbem deduxerat; et cùm inter eundam urbem Betserum offendisset, ob sidione illam vallavit (1 Mach. 6, 31, etc.). Appellabatur via illa Idumæa. Ideo pariter ager insignis est eadem exercitus Zara regis Arabiae (2 Par. 14, 9), et diu post Gorgie copiarum Syrie imperatoris (2 Mach. 12, 32, etc.). Urbs Maresa non longè ab Eleutheropoli spectabatur. Per eandem viam et per agrum Se-phale è Gaza Jerusalem proficiuntur nostra tate itinerantes.

## INSTRUCTIONES ET MYSTERIA QUÆ IN JOSUA CONTINENTUR.

Spiritus sanctus ipse Iosue laudibus extulit ore Ecclesiasticis, qui sic loquitur: *Fortis in bello Jesus Nave* (illum ita Græci nuncupant) *successor Moysi in proprieatis, qui fuit magnus secundum nomen sum (quod salvatorem significat), maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et factando contra civitates rompentes? Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perdidit. An non in iracundia ejus impeditus est sol, et nubes facta est quasi dno? Invocavit Altissimum potestum in oppugnando inimicos undique, et audiens illum magnum et sanctum Deus in sixis grandinis virtutis valde fortis. Impetus fecit contra gentem hostilim, et in descensu perdidit contrarios, ut cognoscant gestes potentiam ejus; quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potensis; et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, et Caleb filius Jephone, stans contra hostem, et prohibere gentem à peccatis, et perfringere murmur malitie. Et ipsi duo constituti, à periculo liberati sunt a numero septentri- milium pedum, inducere illos in hereditatem, in terram que manu lac et mel. Cap. 46, v. 1 et seqq.*

Adu succedendum Moysi Iosue designatus, et à Deo delectus ad Israel introducendum in terram promissionis, signum est veri Iosue,

nampe Salvatoris mundi qui venit ad perficiendum opus cui lex Moysis preparabat, et ad introducendum in hereditatem æternam illos qui participes non fuerint idolatriæ, obdurations, et querelarum quæ tot Israelitarum mortem pepererunt in deserto.

Jordanis aquæ cuius transitus Israelitis aperuit accessum ad terram Promissionis undas baptismi significat, per quas transire debemus ad introendum in Ecclesiam et ad obtinendum hereditatem æternam.

Circumcisio quam Israelitis præcepit Iosue ut illos prepararet ad Pascha facientem, et ad signum proprium et singulare illis imprimendum, effigie circumcisione mentis et cordis vero Dei filios plane distinguunt, et sine qua nemo piè potest celebrare Pascha christianum, quod solum prodest hominibus puris re- cipientibus quidquid illos assimilat filii iniquitatibus.

Gentes à Iosue subactae, omnes illius miraculose et continue victorie, Chananeorum irriti conatus, et vanæ incæpta tot regum contra illum consociatorum, totidem sunt signa miraculosa modi quo in mundum vulgata est Christiana religio, invitus inferni et seculi dominationibus. Vi gratiæ sui, virtute crucis, et efficientiæ vocationalis sua, Jesus Christus omnes potuit ad se attrahere, fortique ac suavi invitatione infensissimos hostes sibi conciliare. Gentilium insectationes, hereticorum

defectiones, intestinaque bella malorum Christianorum, victorias Christi retardare non posserunt. Licit resistere populo Israel et illum vincere cùm scelus admisit refinendo partem aliquam sceleris Jericho; verus autem Iosue fines imponit inimicorum dominationi et malitia; propriaque illorum arma et propriam illorum militiam contra ipsos vertit.

Cum terram Promissionis Israelitum dividere oportuit, sortem volui Deus, nempe suam voluntatem quam sorte exprimeret, huic divisioni praeeesse, ut natura plusve minusve fructuosa fortuite portionis cuiusque tribus nulla contentionis locum daret, nemoque suspicari posset Iosue et Eleazar gratiæ jus inflexisse. Ceterum autem hec divisio sorte directa nobis depingit imaginem nostræ vocationalis gratuitæ ad regnum colorum terræ Promissionis

figuratum; nam, ut loquitur Paulus Apostolus Ephes. 1, 11: *In Christo et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositionem ejus qui operatur secundum consilium voluntatis sue.*

Fœdus demum quod Israelite cum Deo invenit Iosue ope, plura adjuncta continet insignia quæ nobis in illo ostendunt plura signa novi fœderis quod Deus inivit cum hominibus Jesu Christi operâ: timere Deum ut patrem, illi et per amorem servire, et astringere sese vivide ac sincera gratitudinib[us] vincere, hæc omnia hujusc fœderis leges componunt: nos Deo sincerè totos astringi vult Jesus Christus; cor hominis totum exigit, odit illud dividi inter Deum et creaturam, quæ non nisi proper Deum est amanda, horrendaque tormenta minatur his qui divinum illud fœdus abrumpent.

(Translat. ex Bibl. de Vence.)

## JACOBI BONFRERII<sup>(1)</sup> IN LIBRUM JUDICUM

### Praefatio.

Et hic à libri nomenclaturâ inchoandum. Dicitur autem hic liber hebreæ *schoephei*, græcæ *zixiæ*, latine *judices*, que omnia idem sonant; Philo tamen etiam *zixiæ judicia*, liberum hunc appellavit, ad eum modum, quo et aliqui librum Regum non Regum, sed regnorum appellavere. Porro *Judices* vel *Judicium* liber appellatur à materia, que *judicium* res gestas, qui Iosue successerunt, et reges antecesserunt, continet, vel certè res et historias nonnullas que *judicium* temporibus acciderunt; prius tamen quæmà ratiæ *judicibus* gestas aggrediat 1 et 2 capite rem alius repetit, et pauca quedam premit, que viam muniant ad sequentes de *judicibus* narrationes. A 3 capite usque ad 17, comprehenduntur gesta *judicium*; à 17 usque ad libri finem quedam historie memorata dignæ referuntur, quæ istis *judicium* temporibus acciderant, non indicato tamen certo tempore, aut sub quo *judice* ea facta sint.

Nota tamen non omnium *judicium* gesta hic fuissent comprehensa, nam duo postremi *judices*, Heli et Samuel, rejecti sunt in liberum 1 Regum; commodiis enim visum, ut tota Sa-

nuelis vita ab ipso ortu et infantia in eundem librum compingeretur, quam ad rem necesse fuit etiam Heli gesta, vel certè senectutis ipsius casus (quos solo Scriptura refert) conjungere, cùm non potuerint à Samuelis gestis divelli. Porro Samuelis gesta, qui populo regem extorquente, Deoque auctore primos Hebraeorum reges inuxit et inaugurarit, non conveniebat à Regum historiâ sejungi.

Continet item hic liber variis populi Israeliticis casus prosperos et adversos, Deo alternantes, et modo populum affligente ob illius idolatriam, et à divino cultu desertione, modo feliciora reponente, cùm tacti penitidine Israelites ad Deum revertentur, ut hic unus liber manifestis exemplis demonstret unde regnum splendor et florens reipublicæ status peti debeat, ex una videlicet religionis eurâ, quæ si principum regum animis insederit, perspicue intelligat se suaque regna sub Dei protectione et tutela futura, à quo et externa vis hostium sit arcenda, et honorum omnium suppeditanda affluentia, sin bujus religionis curam abficiant, vel postremam ha-

(1) Vide vitam Bonf. 4 vol. Script. saec.

beant, haeresesque sustineant, cum eas profigare possunt, certò sciant se viam inire, quae et regni ipsorum interitum adferat, et posterrati ipsorum exitium et imperii spoliationem, ita ut post generationes paucas, vel in vivis nemo ex eorum supererit stirpe, vel certè nullus, qui regno et sceptris gerendis idoneus sit. Ex hoc enim fonte et religiosis neglectis conjugiorum sterilitas, liberorum orbitas et immaturus obitus, regnorum commutationes et imperiorum spoliations nascuntur; quia item omnia adhuc aperiunt et luctuerunt Regum et Paralipomenon libri monstrant.

Complectitur autem liber hic hujusmodi variis Israëlitice reipublica casus annorum 299 ratiō sub tredecim iudicibus, Othoniole, Aod, Samgar, Debbor, cum Baraē Gedeone, Abimelech, Thola, Jair, Jephite, Abesan, Ahialon, Abdōn, Samson; et Othoniel quidem 40 annis praeuit, Aod 80, Samgar paucos menses, nec annum totum, Debbor cum Barac 40; Gedeon 40, Abimelech tres, Thola 25, Jair 22, Jephite 6, Abesan 7, Ahialon 10, Abdōn 8, Samson 20, qui omnes annū in unam summam juncti cum annorum numerum confundunt quen dixi.

Iujus libri scriptor quis fuerit planè incertum est, et quāquam nonnulli certum illius auctorem adstruere velint vel Esdras, vel Samuelem, vel alium quempiam, vix tamen in eam rem ullum probabile argumentum afferunt. Quid si singula suis queaque temporibus, quibus peracta sunt, fuere conscripta, non unus aliquis scriptor esset potuit, sed diversi, eam trecentorum circa annorum historiam hic liber continet; sin ab uno quopiam post ea tempora fuerint hac conscripti, videtur aliquipotius propensius in Samuelem, quām in alium quempiam inclinandum. Sed de iudicibus movendis hic aliquis questione.

Quæritur igitur primō: Quid offici et munieris in Iudaearum republika habuerint iudices? — Respondeo primō bellorum duces extitisse: manifestum id in plerisque iudicibus, de quibus infra, qui vel à Deo, vel à populo ad hunc finem electi sunt, ut vel manifesto bello, vel quoquo alio modo populi vindices existenter, et regum exterorum tyranidem, quā opprimebatur, excuterent. Et hic ferè fuit primarius finis constitundi iudices; hinc et ipsi passim dicuntur à Deo suscitati salvatores, et dicuntur populum defendisse, ut infra cap. 5, v. ultimo, defendit Israel, vel ut in hebreo habetur, saluavit Israel. Hos etiam Josephus non tantum επαρχούς et ἡγεμόνας, iudices et duces

appellat, sed etiam επαρχίας, imperatores, e. bellorum duces, vel επαρχούς subimperatores, sui Deo videlicet επαρχούς. Secundò iudices praecrant non tantum bellis et exterorum injuriis arcendis, sed etiam juri dicendo, et litibus compendiis, sive popularium injuriis arcendis; id enim videtur indicare ipsum aumen iudicis, et quod de his passim iudicibus dicitur, iudicavit Israel. Et quāquam judicare in Scripturā subinde idem sit quid vindicare, tamen non posse ita accipi passim ut ad bella restringatur manifestus est, cùm bella exiguo tempore concenterentur; at hi dicuntur anni pluribus, decem viginītū iudicasse Israēl. Deinde iudices iudicia in populo exercuisse, et latā sententiā lites composuisse manifestē declarat illud quod de Debborā infra, cap. 4, habetur: Erat autem Debora propheta uxor Lapidoth, que judicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palmā, quae nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephram: ascendebantque ad eam filii Israel in omni iudicium. Josephus etiam Flavius lib. 5 Antiq. c. 8, de Gedeone loquens, ait eum confecto prosperè contra Madianitas bello voluisse imperium depone, ut compulsum foisse eum retinere per annos quadraginta iuri dicendo et litibus finiendis occupatum, populo ratum quidquid illi in causis controversiā pronuntiaret. Accedit quid quidam iudices, qui annis pluribus praeſuere, nulla cum hostibus bella gessisse legantur, ut Thola et Jair infra cap. 10, item Abesan, Ahialon, Abdōn cap. 12. Sed neque Heli, qui 1 Reg. 4 dicitur iudicasse Israēl quadraginta annis, legiū illa per se bella gessisse, vel exercitum ductasse, et licet ipsius tempore bellum Israëlitum cum Philisteis fuit, ipse tamen ob nimiam senectutem bello ineptus domi mansit. Pari modo nec Samuel judex, cum Israëlite cum Philisteis inirent praelium, eos ipse in hostes duxit, sed sacrificio et orationibus intentus, spiritualibus videlicet armis pugnavit. Tertiō hinc colligas eodem iudices habuisse aliquod in populum imperium, et vim coactivam; sine his enim neque ad legum custodiā compellere, neque delinquentes punire, neque injuriam popularium efficaciter arcere, neque sententiam in iudicio latam exequi possebant. Quartō ex dictis non dubium habuisse eos in populo honoratissimum locum, et sumprem in rebus civilibus potestatem gessisse.

Quæreris secundō: Quenan igitur reipublica forma censenda est illa, quæ apud Hebreos

fuit sub iudicibus? — Pro democratico regime facit quod dicitur infra cap. 17, v. 6, et cap. ultimo, v. ultimo: In diebus illis non erat rex in Israēl, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Deinde iudices siebant populi electione, id autem soleme est in populari regime, ut magistratus et iudices a populo constituantur. Pro aristocratiā stat, quod eam formam regiminis, qua fuit sub iudicibus, Josephus plus vice unicā vocet aristocratiā, in primis libro 4 Antiq. cap. ult., ubi varias Moysis referit leges et precepta, hoc inter cetera illis commendat Moses: ἀπροστάτη μὲν προστάτου καὶ εἰ καὶ αὐτὸν βλέπει, καὶ μὴ τικεῖ ποθεῖς θυάς Δόκιμος πολιτείας, διὰ τοῦτο επέργη τοὺς νόμους δικαιούς, διεστάτους, κατ' αὐτούς: Εἰσαγεταὶ πρότροποι, Δραχτὶ τῷ Θεῷ τριπλῶν εἶναι. Βασιλέως δὲ τέντος ἔργον γένεται, τοῦτο μὲν ὅντες ἐργάζονται: Aristocratiā quidem res optima, et qua secundum eam vita ducatur, ne vos alterius politici regiminis desiderium capiat, sed hanc amate leges habentes dominas, ex carum præscripto singula facientes. Satis enim est si Deus præsidem habeatis. Regis vero si capido vos ceperit, sī ipse ejusdem genit. Eece quomodo primam illam formam regiminis, quæ apud Israëlitum fuit, quācumque regiae administratione oponit, Moyses apud Josephum aristocratiā vocet. Rursum idem Josephus lib. 6 Antiq. cap. 4, at Samuelēm Israëlitum regem petentibus indoluisse, quid propter in natum justitiae studium non amaret regiam potestatē, delectaretur autem aristocratiā. Eodem lib. c. 6, aut idem sub Moyse et Josue, ac deinceps ἀπροστάτη μὲν προστάτης, hoc est, ut latine interpres verit, optimates rem administrabant. Eadem etiam regiminis formam Josephum secuti appellant, et esse volunt Fervardentius in Ruth. cap. 4; Signioris libro 4 de Republica Hebreorum cap. 5; Genebrardus in Chronologiā; Abulensis, quest. 15, et quest. processionali ultimā. Aterō monarchiam ferē malum ceteri, Serarius in cap. 3 Judic. Bellarminus libro 2 de Pontifice, cap. 2; Sanderus libro de Monarchiā; Salianus in Annalibus; et hæc opinio videtur vero propior; nam iudices non plures erant, sed quoque tempore unicus, neque is ad breve tempus rempublicam Hebreorum administrabat, esto sapē bellorum occasione ad principatum accerseretur; at ea est monachia cūm unus principatum tota vitā gerit, ut et vox ipsa sonat, et declarat in Politicis lib. 3 Aristoteles; unde et Josephus hos eodem iudices lib. Antiq. 4, appellat προστάτους et alibi ἀπροστάτους, seu imperatores vocat.

Quæ pro democratia initio allata sunt, nihil evincunt: nam locus ille infra cap. 17 et ultimo tantummodo vult eo tempore non fuisse poli tianum regiam, ut liquet ex antithesis: In diebus illis non erat rex in Israēl, cuius scilicet legibus et imperio populus subdetur, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat, non autem quid non esset, qui iuxta leges à Deo datae civili administratione praeset; vel certi vult, quo tempore illa gesta sunt, iudicem neminem fuisse, sive quid nullus adhucdum iudex factus esset, sive quid interregnum esset, ut quidam explicant. Neque verò salis est ad democratiam et populare regimen, si neminem habeat populus à quo gubernetur, sed etiam debet ipso populus gubernare, seu leges condendo, seu magistratus arbitratu suo constituendo. Neque salis est ad democratiam ut populus iudices et magistratus eligat, si illi principatum progent ad vitam, nam et electione populi reges quidam creantur, quorum tamen monarchicum esse regimen, nemo negaverit, sed deberent ita à populo eligi, ut vel ad nutum populi amoveri possent, vel ad breve tempus duntaxat, puta annum, constitui essent. Hinc Rome democraticum erat regimen quamdiu consules, dictatores, tribuni anni vel semestres fuerunt, et Leodii etiamnum simile regimen cernitur.

Aristocratiā etiam politicam, si de ea proprie loquamus, et ad mentem Aristotelis in Politicis, ceterorumque, qui de tripli politie formā scripsere, in horum iudicium principatu asserent non possumus; hac enim plurimum est, licet paucorum, eorumdemque optimorum: at Josephus aristocratiā nomine abusus est, et monarchia speciem fecit, utpote quam in βασιλίου et hanc ἀπροστάτην secat, et unam alteri tanquam ejusdem generis speciem alteri speciei opponit: utramque autem sub eodem monarchia genere opponit polyarchie seu multorum regimini, esto sit oligarchia, et ad paucos pertinet administratio.

Quæreris igitur tertio: Si iudicūm istorum politia erat monarchia, quā igitur in re differebat monarchiā regiā? Nam videtur Aristoteles lib. 5 Politic. cap. 10, 11, 12, omne regimen monarchicum facere regium, et omnes monarchas reges, eō usque ut eos, qui non absolutum in aliquā republicā imperium, sed ejus partem duntaxat, cujus modi esset in bello imperator teneret, reges appelleret. — Respondeo verum esse latē sumendo posse omnes monarchas reges appellari, et omnem monar-

chiam dici posse politiam regiam, et ita acceptit Aristoteles; attamen non parva potest esse inter monarchas differentia, prout vel à Deo vel à republicis eorum auctoritas arcatur; et verò regia auctoritas, si propriè loquamur et ex Scriptura mente, a dici solet, qua maximè est libera, quæque subditos arbitratu suo et imperio moveat, quòd habet. Et hæc ratione horum judicium potestas distincta fuit à regum, qui postmodum in Hebreorum republiquerunt, potestate.

Primo quòd judges secundum leges à Deo datae rempublicam administrarent, nullam verò ipsi legem de non condere concessum esset; sed et in rebus gravioribus Synedrii decreta et calculi alligantur; at reges et novas leges condere, non tamen quæ divinas abrogarent, vel iis repugnarent, et pro imperio quidlibet agere, non tantum in ordine ad legum custodiā, possent.

Secundò hinc liquet reges *dominatæ* et dominos exitiūt, judges verò non item, sed legem per id tempus fuisse dominum, et Deum legis auctorem. Et hæc est ratio, cur Deus se tempore judicium regem populi diceret, adscit autem à populo regibus Deum quodammodo regio et regio titulo spoliatum. Hinc sì illud 1 Reg. 8, cùm populus regem petisset: *Non te, inquit Deus Samueli, abicerunt, sed me, ne regnum super eos.* Hinc et illi acris Samuels objuratio postea cap. 12, et populi peccatum, quod exaggerat, quasi Deum regem suum à se repulissent: cuius peccati gravitatem etiam Deus declaravit datus missis pluvias et tonitruis, quæ res per id tempus in eā regione erat insolens. Hinc et illi seu populi seu Samuelis verba, quæ codem capite, v. 12, commemorantur: *Videutes, inquit Samuel, quid Naas rex filiorum Ammon venisset adversum te, distis nisi: Nequāquam, sed rex imparabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnet in vobis.* Hinc etiam facit quod supra dicit apud Josephum 4 Antiq. cap. ult., Moyses, cùm leges ferret, et populum debortaretur à regiâ politi: *Agas ē θεος ἡγεμόνα εἰς, sufficit si Deus dux et rex vobis sit,* Non habebant igitur judges dominum illud et jurisdictionem absolutam in populum, quod habuerunt reges postea. Unde cùm dominum illud regum confecto bello Madijanitico detulissent Israelites Gedeoni, infra cap. 8, v. 22, hisce verbis: *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filii filii tuū: quia liberasti nos de manu Madianitico;* respondit Gedeon: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabit-*

*tur vobis Dominus.* Itaque dominum illud regium recusat et rejectit Gedeon: at judicatum seu principatum, qualem habuerant cateri judices, non rejecti, utipote qui reipsa judicari Israelem quadriginta annis. Huc cōdem facit ad declarandum illud dominum regium, ius illud regis, quod Iesus est à Deo Samuel populo clara voce enuntiare, 1 Reg. 8: *Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et precursores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segement, et fabros armorum et currum suorum.* Filias quoque vestras faciet sibi angustiaras, et focarias, et panificias. Agros quoque vestros, et vineas, et olivæ optima tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum redditus addecimabit, ut de eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros et ancillas, et juvenes optimos et asinos auferet, et ponet in opere suo. *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.* Quæ omnia regis amplius dominum explicant, et quomodo soleant reges subditos variis modis opprimere, quæ omnia ab ilis sunt, si non de jure, certè de facto, et juris aliquâ specie, ratione domini jurisdictionis, quod ipsis in subditos competit, unde et videri volent ista justa agere, quæ ratio est, eur etiam à Scripturâ jus regis appelletur. Hanc differentiam monarcharum, seu et ipso vocat, regum, etiam ipse agnoscit Aristoteles, eorum nempe, qui omnia pro imperio et arbitrio suo faciunt, et eorum qui ex legum prescripto omnia administrant, cuiusmodi erant judges, siquidem libro 3 Polit. cap. 5, initio ita sit: *Et Verum de eo rege, qui enuta ex voluntate sua gerit, consideratio nunc est facienda: nam illi qui secundum leges dicitur rex, &c. Et cap. praecedenti: Quia si est, inquit, utrum habere debet, qui regnaturus est, circa se potentiam quandam, quâ possit compellere non parentes, vel quomodo gubernacionem exercet?* Si enim habeat potestatem à legibus concessam, et nihil ex voluntate sua faciat præter leges, tamen necessaria erit ipsi potestia, per quam leges tueri queat. Et rursus c. 12: *Qui igitur legem præcessit iubent, videntur iubere Deum præcesse et leges.* Quæ postrema Aristotelis verba maxime in rem nostram faciunt; si enim qui leges ab hominibus latas præcesserent volunt, ita ut princeps nihil agat nisi ex præscripto legum, ita cum legibus Deum præcesserent, tanquam primum omnis bona legis auctorem

et fontem; multò magis in Hebreorum republiça, diùm solæ leges ab ipsomet Deo late judicibus presidebant et imperabant, Deus solus rex et dominus longe potiori jure dici potuit.

Tertiò ea fuit inter reges et judices differentia, quid reges ratione illius amplioris dominii tributa populo imponeant, non item judges. De regibus manifestè indicatum est in jure illo regio à Samuele pronuntiato, de quo paulò ante. Et verò Saülē primum regem populo tributa indixisse perspicue liquet ex eo quid Davide interrogare quid daretur homini, qui percuteret Goliath, responsu sit inter cætera fore, ut domus eius fieret immunitis à tributo in Israel. Davidem etiam tributorum collectorem habuisse legitimus Aduram, 2 Reg. 20, v. 24; similiter et Salomon collectores tributorum habuit, 5 Reg. 4, v. 6, et cap. 11, v. 28; item et Roboam cap. 12, v. 18, qui et rogatus aliquid de paternis tributis remittere, aspera responsione defectioni decem tribuum causam præbuit.

Quarto reges in signum hujus absoluti principatus et dominii diademate utebantur, et regis insignib; ut alarium gentium reges, non item judges. Hinc Amalecites illi adolescentes Saülē occiso, 2 Reg. 1: *Tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attulii ad dominum meum huc.* Et David rex ex diademate Melchom idoli Ammonitanum fecit sibi diadema et capitio sui impostus, 2 Reg. 12, v. 30, et 1 Paral. 20, v. 2. Et 2 Paral. 25, cùm Joas Ochozias filius rex à Joiadā constitueretur, imponerunt ei diadema, ut haberetur v. 11.

Quinto reges ungebantur, non judges. Sic Salomon et David à Samuele uncti sunt, 1 Reg. 10 et 16, et Salomon à Sadoc pontifice, 5 Reg. 1, et Joas à Joiadā, 2 Paral. 2.

Sexto reges satelliti cingebantur, et stipatorum turbâ muniti, multoque apparatu incedebant, at non judges. Sic enim Samuel in illo regni jure: *Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et precursores quadrigarum suarum.* Reprehendit David Abner et socios, 1 Reg. 26, quid regem dormientem ipsi ad excubandum et custodiendum constituti, non rectè custodissent. David legiones Cerethi et Phelethi ad sui custodiam stipatores adhibebat. Eadem etiam in sequentium regum tutele adhibebat, nam et Salomon isdem stipitalibus inunctus rex et inauguratus fuit, 5 Reg. 1, uti et Joas rex, 4 Reg. 11, v. 19. Sed

et Salomonis lectulum sexaginta fortis ambiebant, et ducentia scuta area, trecentasque peltas areae idem confeceit, ut habeatur 5 Reg. 10, nempe quibus ad pompan uteretur custodes domini regis, et ubi quopiam eundum esset, regem præentes anterrent, ut ex altero loco colligimus, 5 Reg. 14, ubi hisce scutis à rege Egypci subtilis dictum de Roboam: *Pro quibus fecit rex Roboam scuta area, tradidit et in manum ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domini regis.* Cùmque ingredetur rex in domum Domini, portabat ea, qui præundi habebant officium, et postea reportabant ad armamentarium scutariorum.

Septimi reges, postquam fuere primum à Deo constituti, successione ad regnum perveniebant, nam et apud Davidis posteros perpetuò usque ad captivitatem Babyloniam permanebant, et ad Saüls posteros transiit, nisi ipse cum suā posteritate eo privari commeritus fuisset; at principatus judicum neque successione ad ullum pervenit, neque in eisdem familiâ aut tribu perpetuò mansit, sed ex variis tribubus modò hæc, modò illâ assumebantur; è tribu Juda fuit Othoniel, primus è Judicibus, et præter hunc Abesan; qui Othoniel sucede sit Aod fuit è tribu Benjamin, Barac è tribu Nephthali; Gedeon, Jair et Jeptile è tribu Manasse, Thola ex Issachar, Ahialon è tribu Zabuloniam, Abdon ex Ephraim, Samson ex Dan, Heli et Samuel è tribu Levi. Unus Abimelech patri Gedeoni successit, sed vi, dolci et tyramnicâ usurpatione, unde et ipse non tam judex more antecedentium regum judicum, quām rex constitutus fuisse dicitur, cap. 9, v. 6 et 18, et regnasse dicitur v. 22, et dominatus v. 2, et alii dicuntur ei servisse v. 28; Gedeoni principatus et dominatio regia oblatâ fuerat infra, cap. 8, v. 22, eademque ad posteros transmitenda: *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filii filii tuū;* at ipse modestè eum principatum rejectit.

Quares quartò an iudicis nomen etiam regibus convenerat. — Respondeo: Si hac vox in suis amplissimâ significatione capiatur, non dubium est etiam regibus convenire, ita ut omnes reges etiam sicut judges, licet non omnes judges reges; nam et reges passim dicuntur iudicare populum, et Israeliticum populus, licet hactenus judges ad illes dirimendas habuerint, tamen 1 Reg. 8, ait Samuell: *Constitu nobis regem, ut judicet nos.* Et Salomon petens à Deo sapientiam, 3 Reg. 3, ait: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discer-*

*nero inter bonum et malum; quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? Et Absalon regnum ambiens, 2 Reg. 15, dicebat: Quis me constitutus judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et justè judicem? Neque dubium est omnia, quæ judicibus his competebant munia, et multò etiam ampliora regibus conveniente; nihilominus si pressè loquamus de judicibus, prout hoc libro sununtur, dico sacerdos esse reges à judicibus, utpote sub quibus alia reipublicæ forma fuerit.*

*Quæres quintò, an etiam in judicium numero recensendi sint Moyses et Ioseus? — Ia volunt aliqui, qui Othoniemet tertium judicium faciunt. Accedit quòd cùm illi non fuerint reges, videantur in judicium numero reponendi, et quamvis Philo Moysen regem vocet, multisque conetur ostendere ipsum regem fuisse in libris de Vitâ Moysis, attamen nimis amplè cum Aristotele regis nomen sumpsit, ut possit comprehendere omnem principem monarchicum, etiam eum qui ex legum normâ ita subditos regat, ut nihil arbitrio sua faciat, cuiusmodi fui Moyses. Adde quòd id ex mente Scriptura videatur, que Moysem et Ioseu in judicibus videat, comprehendere; nam Isaie 1, -26, dicit propheta: Et restituum judices tuos, ut fuerint prius. Ubi Hieronymus ait nomine *judicium* intelligi Moysen, Ioseus, et alias seu judices, seu reges pios, qui antecesserant. Dico tamen hos melius à judicium numero seceri, et Isaian latè nomine judicis sumere, ut quemlibet principem monarchicum complectatur. Possent quidem et hi in judicium numero censi serni potius quām regum; tamen sive quia præfuerunt populo adhuc vago, et neendum certas sedes habent, sive quia his ampliora quām ceteris judicibus munia, et dignitatum tituli convenientebant (nam Moyses non tantum in politicis et civilibus populo præfuit, sed etiam in spiritualibus; neque tantum civilis principes, sed etiam sacerdos et legislator fuit; Ioseus præter principatum hoc habuit, quòd populum in terram promissam introduxit, illistribus victoris eamdem pepererit, distribuerit), rectius hi à judicium numero, quod maxima bonorum auctorum pars facit, seponantur.*

*Quæres sexto: Fuerint hi judices omnes sancti? De Abimelecho tyranno et homine impio non est hæc quæsto, sed de ceteris Dei vel populi liberæ electione factis judicibus. — Respondeo satis verisimile esse eos omnes esse sanctos, et in celo beatos, tum quòd hi*

*a Deo suscitati dicantur, ut populum defendarent et gubernarent: Deus autem, quos ad aliquod munus eligit, solet gratia et donis ad id necessariis instruere; neque res parva erat oppressum populum libertati restituere, tyrannos opprimere, populum judicare, et in Dei cultu refinare; tum quòd populi salvatores, ut passim hoc libro appellantur, exitierunt, quā in re Christi Salvatoris typum gesserunt; tum quòd hos judices, corumque fidem magnopere commendet Apostolus ad Hebreos 11: Deficiet me tempus, inquit, enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jepheth, David, Samuel, et prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora teom, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, conculaverunt de infinitate, fortis facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Et quanquam Apostolus ibi non omnes judices nominet, satis tamè perspicuum est eum studio id fecisse, non quòd non idem de ceteris dici posset, sed quòd sub his etiam ceteros, qui in pari causâ erant, intelligi vellet, et pauculos dunxat, exempli gratiâ, ut dicatur, assumere vellet, ne in exemplis affterendis nimis esset. Adde satis ostendere sibi non fuisse curse, quos ex iis in medium adducerat, cùm eos eo ordine, qui principatus obtinuerunt, non reconsent, sed maximè olivios, et eo ordine, quo se ejus memoria ingesserunt. Accedit ad hæc Ecclesiasticus, qui neminem excipit, omnes comprehendit cap. 46: Et judices, inquit, singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor; qui non aversi sunt à Domino, ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa eorum pullulante de loco suo, et nomen eorum permanente in æternum, permaneant ad filios illorum sanctorum virorum gloria. Ecce quomodo judices non aliqui, sed singuli suo nomine, seu nominatio laudandi, et cum debitis encomiis commemorandi sint, utpote quorum non est corruptum cor per idolatriam scilicet, neque aversi sunt à Domino, ab ipsis, videlicet, cultu et voluntate recedentes: quorum ob id memoriam vult esse in benedictione apud Deum et homines, et eorum ossa pullulare de locis suis, hoc est, reflorere et resurgere ut sanctos decet ad beatam immortalitatem, et nomen ac gloriam recte factorum ipsorum permanere in æternum, et manare ad posteros. Neque his obstat quòd horum non nulli recte factorum gloriam quibusdam peccatis obscurant, siquidem hi ferè illustiores fuerunt, et hos maximè nominat Paulus, et de singulis dicendum infra.*

## CAPUT PRIMUM.

CHAPITRE I<sup>e</sup>.

1. Post mortem Ioseue consuluerunt filii Israel Dominum dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananaeum, et erit dux belli?

2. Dixitque Dominus: Judas ascendet; ecce tradidi terram in manus ejus.

3. Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananaeum, ut et ego pergam in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

4. Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananaeum ac Pherezæum in manus eorum; et percusserunt in Bezel decem millia virorum.

5. Inveneruntque Adonibezec in Bezel, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananaeum et Pherezæum.

6. Fugit autem Adonibezec; quem persecuti comprehendenterunt, cæsis summatibus manum ejus ac pedum.

7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensâ mæcæ ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est.

8. Oppugnantes ergo filii Iuda Jerusalem, ceperunt eam et percusserunt in ore gladii, tridentes cunctam incendio civitatem.

9. Et postea descendentes pugnauerunt contra Chananaeum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campis pestribus.

10. Pergensque Judas contra Chananeum qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath-Arbe), percussit Sesai et Ahiman et Tholmai.

11. Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath-Sepher, id est Civitas-Litterarum.

12. Dixitque Caleb: Qui percusserit

4. Après la mort de Jésus, les enfants d'Israël s'étant multipliés, et se trouvant en état de remplir le pays que Dieu leur avait donné, consultèrent le Seigneur et lui dirent: Qui marchera à notre tête pour combattre les Chananéens? et qui sera notre chef pour continuer la guerre contre ces peuples anathématisés?

2. Le Seigneur répondit: Ce sera Juda qui marchera devant vous; je lui ai livré le pays en-nemi.

3. Alors Juda dit à Siméon son frère: Venez m'aider à me rendre maître de la part qui m'est échue au sort et à combattre les Chananéens, et ensuite j'irai vous aider à conquérir ce qui vous est échu. Siméon alla donc avec Juda.

4. Et Juda ayant marché contre les ennemis, le Seigneur livra entre les mains des Hébreux les Chananéens et les Phérézéens, et ils en taillèrent dix mille en pièces à Bézec.

5. Ils trouvèrent ensuite à Bézec Adonibézec, qui était un des plus puissants rois du pays; ils le combatirent, et défrrirent les Chananéens et les Phérézéens qui componaient son armée.

6. Adonibézec ayant pris la fuite, ils le poursuivirent, le prirent, et lui coupèrent les extrémités des mains et des pieds.

7. Alors Adonibézec dit: J'ai fait couper l'extrémité des mains et des pieds à soixante-dix rois qui mangeaient sous ma table les restes de ce qu'on me servait: Dieu m'a traité comme j'ai traité les autres. Ensuite ils l'emmenèrent à Jérusalem, où il mourut.

8. Or, les enfants de Juda ayant mis le siège devant Jérusalem, la prirent, taillèrent en pièces tout ce qu'ils y trouvèrent, et mirent le feu dans toute la partie de la ville qui leur était échue en partage.

9. Ils descendirent ensuite pour combattre les Chananéens qui étaient restés dans le pays des montagnes, vers le midi, et dans la plaine.

10. Et Juda, ayant marché contre les Chananéens qui habitaient à Hebron (dont le nom était autrefois Cariath-Arbé), défit Sesai, Ahiman et Tholmai, qui y commandaient, et y établit Caleb, à qui cette ville avait été donnée en partage.

11. Étant parti de là, il marcha contre les habitants de Dabir, qui s'appelait autrefois Cariath-Sepher, c'est-à-dire la Ville-des-Lettres.

12. Alors Caleb dit: Je donnerai ma fille